

Atqui res non ita se habet, quod nunc demonstramus. Et primo excludenda est interpretatio secunda. Sane interpretatio Origenis qui primus affertur l. c. non est interpretatio litteralis. Etenim 1) ipse alibi docet ea verba *super hanc Petram* etc. spectare ad unum Petrum: 2) heic docet non solum Apostolos, eosque singulos, sed et perfectos esse petram in qua aedificatur Ecclesia; contra unumquemque eorum non esse praevalituras inferi portas: « Quod si super illum Petrum tantum existimas aedificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitru, et Apostolorum unoquoque? Num audebimus dicere quod adversus Petrum unum non sint praevaliturae portae inferorum, adversus vero ceteros Apostolos ac perfectos praevaliturae sint? an non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, sit illud quod dicitur: et portae inferi non praevalent adversus eam? » Porro si super omnes quoque perfectos Ecclesia est aedificata, si ipsi sunt fundamentum; ex quibus tandem aedificium superstructum constabit? ex imperfectis ne tantum et peccatoribus? Itaque, ut moris est Origenis, haec per accommodationem sensu quodam analogico dicuntur, ut sicut Petrus propter fidem quam confessus est, dictus fuit beatus et firmus ac stabilis effectus est, ita quicumque eandem fidem confitetur, et ipse dicetur beatus, stabilisque erit contra impetus inferni, lapisque erit ad Ecclesiae aedificium spectans: « Si illud idem dicamus quod dixit Petrus, ... fortasse fimus et ipsi quod fuit Petrus, nempe similiter ut ille praedicamur beati... quod si nos quoque locuti quod dixit Petrus efficiamur Petrus, et nobis dici poterit a Verbo: Tu es Petrus, et cetera, quae sequuntur. Petra enim quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spiritali consequente Petra. Et super quamlibet huiusmodi petram construitur omnis ecclesiastica doctrina et vitae institutio. Unicuique enim perfecto habenti congregationem sermonum eorum, qui complent beatitudinem et operum et cogitationum inest quae a Deo aedificatur Ecclesia. » Non super quemcumque vere aedificatur, sed inest, h. e. ex iis tanquam lapidibus vivis coalescit. Porro adverte hanc Origenis interpretationem suam quoque fecisse Ambrosium in Luc. VI, nn. 97. 98.

Cyprianus vero ut probet Episcopis parendum esse l. c. provocat ad verba Matth. XVI, 18: « Dominus noster, cuius praecepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi: quia tu etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. » Quorum verborum sensus non est, dignitatem et potestatem

collatam Episcopis singulis esse eam ipsam quae data est Petro, quod nimis absurdum foret, et alienissimum a mente Cypriani (de Unitate Ecclesiae); sed argumentum ea verba continent quo probetur immediate quidem regimen Ecclesiae non esse penes populum, sed penes unum institutum a Christo, qui pro universa Ecclesia est Petrus: et proinde in singulis Ecclesiis particularibus regimen esse penes singulos Episcopos, pro quibus Petrus claves communicandas ceteris tunc accipiebat. Unde hoc testimonium spectat ad interpretationem primam.

Hieronymus non negat l. c. petram Matth. XVI. esse Petrum, imo id affirmat, insuper docens Petrum ceteris Apostolis tanquam Caput praecellere: « Si Ioannes virgo non fuit, cur ceteris Apostolis plus amatus? At dicis super Petrum fundatam Ecclesiam (id quoque haeretici noverant), licet id ipsum in alio loco (non in hoc Matthaei) super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves Regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio. » Quare et hoc testimonium accensendum primae classi.

Augustinus in ea verba: Fundamenta eius in montibus sanctis Psal. 86. hoc unum docet Apostolos esse Ecclesiae fundamenta, provocans ad Ephes. II, 21; nec mentionem facit Matth. XVI. Nihil ergo dicit heic Augustinus.

Theodoretus autem in eundem locum ait: « Montes sancti, super quos haec fundamenta iecit, sunt Apostoli. De his Apostolus dixit: supraedificati super fundamentum etc. et Dominus Petro post veram et divinam illam confessionem: Tu es Petrus et super hanc petram etc., et rursus: vos estis lux mundi. Super hos sanctos montes Christus religionis fundamenta iecit. » Liqueat Apostolos omnes dici eos montes super quos aedificata est Ecclesia; sed liqueat quoque verba Christi Matth. XVI. ad solum Petrum dicta referri; neque ex eo loco sed ex alio ad Ephes. probari Apostolos esse huiusmodi montes sive fundamenta. Non dicit autem Theodoretus Apostolos esse fundamenta sicut Petrus. Itaque et hoc testimonium ad primam interpretationem spectat. Cyrillus quoque Alex. ad verba Psalmi 86 alludit.

Etherius et Beatus l. c. n. 3^o aiunt quod id « quod Petro dixit: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, non soli Petro, sed nobis omnibus dixit » idque ipsi affirmant eo sensu quo audivimus dici ab Origene. Ceterum iidem ibidem de Petro confesso Christum inquiunt: « Tunc et petra vocatus, postquam angularem petram illum primus agnovit. Haec est petra de qua Pater dixerat per S. Isaiam: Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem probatum... et omnis qui

crediderit in eo non confundetur. Et utique lapis, in quem credere mandat, Deus est. » Scilicet petra est Christus; ita tamen ut sub eo sit quoque Simon petra. Quare si quid difficultatis his inest, id ad 4^a sententiam spectat.

Paschasius Radbertus l. c. ad ea verba Matth. VII, 24. Omnis qui audit verba mea... similabitur viro sapienti qui aedificat domum suam supra petram; dicit quod « licet Petrus licet Paulus aedificet... Christus est vir sapiens qui aedificat domum caelestem supra se, qui recte petra est appellatus, fundamento fidei collocatam. Unde in hoc eodem Evangelio Petro dicitur: Tu es Petrus, et super etc. idest a qua tu Petrus sortiris nomen pro firmitate fidei, supra ipsam eandemque Petram aedificabo fundamento fidei Ecclesiam. » Heic petra est Christus. Idem docet L. VIII. ad Matth. XVI, 18. provocans ad 1 Corint. 3. 11. Cum vero heic paulo post ait « non super uno Petro verum super omnes Apostolos Apostolorumque successores Ecclesia Dei aedificatur » provocans ad verba Psalmi LXXXVI, 1. satis significat se id potius ex verbis Psalmi, quam ex Christi verbis colligere.

Nihil ergo est ex allatis testimoniis quo interpretatio secunda verborum Christi penes Matth. XVI possit persuaderi. Quamvis existerit quidam commentarius catholicus qui potestatem collatam Petro docet collatam quoque ceteris Apostolis et Ecclesiae; sed refertur ille proprie ad sequentia: *tibi dabo claves*; et sub iis verbis de eo loquemur.

Restat igitur interpretatio 1^a 3^a 4^a. Advertendum est autem quod ex iis, qui citantur sub 3^a interpretatione, quidam sunt expungendi ut Chrysologus, Theophanes Cerameus, Odo Cluniacensis, qui in locis citatis primam exhibent interpretationem. Iam vero concedimus interpretationem 3^a et 4^a non esse factam per quamdam accommodationem, sed veram et realem esse: id enim postulat eius universalitas et frequentia, eiusque usus ad dogmata stabilienda, etiam in quaestionibus fidei contra haereticos, atque tandem ratio quam mox afferemus. Responsio porro ad huiusmodi difficultatem haec est, has interpretationes non esse oppositas sed invicem coordinatas, non se excludere sed penitus cohaerere, atque ex his omnibus unam adaequatam interpretationem conflari. Id argumento extrinseco et intrinseco demonstrari potest.

Extrinsecum est: Patribus universaeque Ecclesiae, ut ex tot monumentis constat semper persuasum fuit Petrum esse Ecclesiae petram; non potuerunt ergo in hac communi sententia Ecclesiae Patres adeo plurimi eam verbis Christi adhibere interpretationem quae illi sententiae adversaretur. Praeterea plures ex iis Patribus, qui 3^a

vel 4^a interpretationem exhibent, illi iidem et primam asserunt; non ergo putarunt eas sibi adversari.

Ut argumentum intrinsecum proferamus, advertendum est. Cum Petrus dicitur Petra supra quam aedificatur Ecclesia, duplex respectus in Petro considerari debet; respectus ad terminum pro quo functionem petrae exercet: et hic terminus non est nisi Ecclesia: et respectus ad causam qua fit et constituitur Ecclesiae petra. Causa autem, ommissa causa meritoria, duplex distingui debet, efficiens et formalis. Causa efficiens est ipse Christus, qui Petro hanc supernaturalem dignitatem communicat, quique sic loquens inducitur a Leone (Serm. 3. suae assumpt.): « Cum ego sim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo aliud ponere potest, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. » Petrus ergo nequit concipi Petra Ecclesiae nisi quatenus a Christo, qui prima et ex sese petra est, constituitur talis, h. e. virtute huius primae petrae solidatur, et simul cum Christo cui innititur, petrae functionem exercet (sint tibi *mecum* participatione communia). Hinc cum Petrus dicitur petra Ecclesiae, intelligitur quoque Christus, per quem et cum quo Petrus est petra, et sine quo esse neque concipi potest petra Ecclesiae. Unde frequens est Patribus advertere quod Simon dictus sit Petrus a Christo Petra; quod quidem non est intelligendum de derivatione grammatica, quae nulla est, sed de ontologica, quatenus Petrus realiter participat dignitatem Petrae, quae primo et per se competit Christo. « Hunc in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse (Christus) erat voluit nominari dicendo: tu es Petrus etc. » S. Leo epist. 10. Et Augustinus Tract. 124 in Ioan. « Ecclesia fundata est supra petram, unde et Petrus nomen accepit: non enim a Petro petra, sed Petrus a petra; sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur. »

Causa formalis, qua nempe in se, licet participative, attamen vere et ontologice constituitur Petrus Petra Ecclesiae est ipsa auctoritas Primatus, qui petrae metaphora significatur; qui est suprema potestas iurisdictionis in Ecclesia. Haec autem potestas continet quoque potestatem docendi: regnum enim Christi est regnum veritatis Ioan. XVIII, 37, et Apostoli missi sunt ad docendum Matth. XXVIII, 19. atque ita continet ut suprema potestas regendi nequeat esse nisi in eo subiecto quod potiatur suprema potestate docendi; et haec potestas in aliquo subiecto existens ratio sit cur eidem cetera potestas iurisdictionis competat. Ratio primi est quia potestas legifera iudiciaria coactiva quae sit seiuncta a magisterio infallibili in Ecclesia

existente, quod iudicium de illa ferre iure potest, hoc ipso non est suprema: ratio secundi est, quia si comparetur invicem potestas docendi, et cetera potestas regendi, ea est prior naturaliter hac, quia veritas et doctrina in Ecclesia norma est omnium legum et iurium. Quare causa formalis, qua Petrus petra Ecclesiae constituitur, est primo ipsa fides Petri prout haec est principium firmitatis et unitatis fidei in Ecclesia, prout nempe tanquam norma proposita ceteris causa est stabilitatis et unitatis in fide; sive est ipsum magisterium supremum Petri. Ecclesia ergo fundata supra Petrum fundata est supra Petrum credentem et docentem; neque a conceptu Petrae Ecclesiae secerni potest fides Petri, eiusque confessio vel magisterium, quibus formaliter est Petra. Et sane verba Christi dicta sunt Petro credenti et confitenti, ideoque huc redeunt: ego dico tibi credenti et confitenti divinitatem meam, quia tu es Petrus, et super hanc petram credentem et confitentem aedificabo Ecclesiam meam, h. e. tu Fide tua fundamentum eris Ecclesiae meae, principium unitatis et firmitatis: « Non enim de carne Petri, sed de Fide (Petri) dictum est, quia portae mortis non praevalent. » (Ambrosius De Incarnat. L. V).

Porro cum hoc rursus cohaeret Christum esse petram Ecclesiae: si enim Petrus est petra Ecclesiae per fidem, et huius obiectum est Christus, ideoque est petra per fidem in Christum: ergo *Christus creditus* est petra Ecclesiae; nam propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Itaque Simon Petrus Christo innixus suaque virtute solidatus auctus fide, ipsamque praedicans constitutus est fundamentum Ecclesiae.

Quare 1) in verbis Christi triplex veritas continetur. 1^a Petrus est Petra Ecclesiae: h. e. ipsa persona Simonis effecta Petra seu aucta Primatu est subiectum cui innititur Ecclesia. 2^a Fides est Petra Ecclesiae; h. e. fides Petri est causa formalis licet partialis cur persona Petri sit fundamentum Ecclesiae. 3^a Christus est Petra Ecclesiae, h. e. est petra principalis, cui innititur Petrus. Christus igitur est prima a se petra cui Petrus ipse et tota Ecclesia innititur.

Hinc vero liquet has interpretationes non esse oppositas, nec unam ab altera excludi, sed coordinari invicem et alteram ab altera inferri mutuoque singulas se complere. Perperam autem comparatio institueretur inter numerum scriptorum qui hanc potius quam istam aut illam interpretationem usurpaverint. Nam nulla est exclusiva, et quaelibet earum primam supponit: quoposito ratio adhibendi potius unam quam alteram pendet solum ex occasione sermonis et necessitate profligandi erroris alicuius qui insurgat aut declarandae veritatis cuius cognitio heic et nunc magis sit

opportuna. Quod si advertisset Dr. Langen facile intellexisset se operam perdere cum testimonia non pauca a quarto seculo deinceps corrogavit (L. I. §. 7, L. II. §. 7, L. III. §. 1, L. IV. §. 1) quibus asseritur Petram esse Christum aut fidem in Christum. Debuisset vero ostendere quod interpretatio nostra non sit literalis nec primitiva: quod his citationibus nec praestat Dr. Langen nec praestare potest; qui quidem frequenter nec quod citat intelligit. Nam nonne e. g. nostram interpretationem confirmat quod ipse refert (L. II. §. 1.) ex liturgia mozarabica in Missa Cathedrae Petri: « Qui (Christe) super te firmissimam petram, Petrum et per Petrum Ecclesiam aedificasti »? Nonne cum nostra interpretatione cohaeret quod citat (L. III. §. 1.) ex commentario Thomae in Matth. XVI, 18 si praesertim integre referatur? Ad ea verba: et ego dico tibi quia tu es Petrus, ait Thomas: « Hic dat confessionis remunerationem... primo dat nomen, secundo potestatem. Circa primum primo dat nomen, secundo nominis rationem: et super hanc petram etc. Ad hoc venit in mundum ut Ecclesiam fundaret Isai. XXVIII, 16. ecce ego ponam in fundamento Sion lapidem probatum etc. Iste lapis est Christus,... unde non solum dicimur christiani a Christo sed a petra. Ideo specialiter imponit nomen: tu es Petrus, a petra quae est Christus in huius signum rei: super hanc petram etc. Proprietas petrae est quod ponatur in fundamento, item ut det firmitatem. Unde potest exponi de Christo. » Augustinum citat, et 1^a Cor. X, 4, et III, 11. Pergit: « Alia expositio super hanc petram, idest super te petram; quia a me petra trahes tu quod sis petra. Et sicut ego sum petra, ita super te petram aedificabo etc. Sed quid est? est ne Christus et Petrus fundamentum? Dicendum quod Christus secundum se, sed Petrus in quantum habet confessionem Christi, in quantum vicarius eius? » licet autem S. Doctor deinceps allatis verbis Ephes. II, 20. dicat Apostolos esse fundamentum per concessionem Christi, distinguit tamen Petrum ab aliis Apostolis; ait enim: « Sed specialiter Petri domus quae est fundata supra petram non diruetur... Et quamvis aliae Ecclesiae vituperari possint per haereticos, Ecclesia tamen Romana non fuit ab haereticis depravata, quia super petram erat fundata... sola Petri Ecclesia inviolata permansit: » quod Thomas confirmat provocans ad verba Luc. XXII, 32. Ego pro te rogavi Petre etc. Atque de ista indigesta testimoniorum collectione langeniana satis.

Quaeri autem potest utrum hae omnes interpretationes sint immediatae. Et quidem quod spectat ad primam res evidens est; Petrus enim et petra idem est subiectum. Quoad alias duas difficultas esse potest. Quoad primam advertendum est, quod cum locutio est metaphorica, sensus proprius qui per metaphoram significatur, et lite-

ralis est et immediatus: cum autem Petrus Petra Ecclesiae dicitur, sensus proprius est Petrum esse principium efficax firmitatis et unitatis Ecclesiae. Porro quae simplici analysi alicuius rei colliguntur absque ope veri ratiocinii et ipsa simul cum ea re quamvis in confuso immediate significantur; immediatione quidem non verbali sed reali, ratione nempe rei significatae. Sicut cum dico: Christus est homo, significo immediate verbaliter Christum esse subsistentem in humana natura: sed quia homo est habens corpus, animam, intellectum, voluntatem etc. haec quoque immediate realiter ea propositione significantur. Analysis vero instituta principii unitatis et firmitatis Ecclesiae hoc inter alia elementum suppeditat, nempe principium unitatis in fide, principium vero unitatis fidei in societate, quod sit destitutum fide quam doceat, concipi nequit; cum ergo Petrus exhibetur principium unitatis fidei, exhibetur cum fide, quam docendo unitatem efficit. Fides ergo Petri elementum est quod continetur re significata per petram Ecclesiae, quaeque analysi colligitur. Dicitur ergo debet immediate realiter significata. Quod si praeterea ea verba Christi simul cum toto contextu spectentur, patet rursus fidem Petri, propter quam est formaliter petra, immediate ex verbis totius contextus significari. Petro enim, non prout caro et sanguis est, sed prout revelante Patre corde credidit et ore confessus est fidem, dictum est: Tu es Petrus; et super hanc Petram credentem scilicet et confitentem Christus Ecclesiam suam se aedificaturum promisit. Quare petra Ecclesiae cum fide et per fidem petra repraesentatur. Ad alteram interpretationem quod spectat, advertendum est quod cum homo exhibetur ut petra Ecclesiae, et simul componitur cum Christo Deo, qui se exhibet ut auctorem et caput Ecclesiae, ideoque principium omnis eius unitatis et stabilitatis, illum hominem constituens principium firmitatis et unitatis Ecclesiae suae; simul apparet dependentia huius hominis a Deo, et participatio suae dignitatis a dignitate Christi: unde nequit ille homo concipi petra nisi secundaria firmitatem suam nanciscens a Christo, qui est per se petra. Immediata ergo in his verbis: et ego dico tibi etc. Petrus repraesentatur ut Petra secundaria innixa Christo.

Differunt tamen hae interpretationes quod prima ita est immediata ut sit etiam explicita; aliae plus minus implicitae, prima, si tantum ea verba spectentur: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, est *verbalis*, h. e. ab ipsis verbis immediate tradita; altera est *realis* h. e. ex analysi rei per verba significatae immediate efflorescens. Praeterea prima exhibet subiectum super quod aedificatur Ecclesia, aliae exhibent causas propter quas illud est fundamentum Ecclesiae.

Differunt quoque ex eo quod prima interpretatio est antiquissima, et sola existens in aetate antenicaena, aliae posteriores sunt; illa magis obvia, hae fructus penitioris analysis. Causa vero cur post Arianos tertia potissimum interpretatio urgeretur, repetenda est ex ipsa controversia ariana. In confessione enim Petri antithesis erroris ariani plenissime continetur, quae confessio, si petra est Ecclesiae, manifestissime ostendit Arianos ab Ecclesia esse prorsus alienos.

Itaque cum Patres docent Ecclesiam aedificatam esse super hanc confessionem Petram, super fidem confessionis Petri, super immotam discipuli fidem, super hanc petram rectae fidei, quam Petrus confessus est, super firmam et solidam confessionem, quam confessus est Petrus, super hanc firmitatem fidei, quam confessus est Petrus; confessionem Petri esse basim Ecclesiae; in hac confessione stabili fidei esse Ecclesiae fundamentum; in huius firmitate consurgere Ecclesiae aedificium; quae sunt formulae occurrentes penes Patres citatos, commentarium quidem exhibent verissimum, sed qui nullo modo excludat primam interpretationem. Quod praeter argumenta tum extrinseca tum intrinseca iam allata, ex eo quoque evidens fit, quod 1^o fides vel confessio fidei spectetur ab his Patribus cum relatione ad Petrum, *haec fides*, aiunt, *haec confessio, quam Petrus confessus est, fides Petri, confessio Petri, in confessione sua fundatam habet Petrus Ecclesiam*, et similia: quod 2^o fides vel confessio fidei spectetur a Patribus prout est perseverans in petra et per ipsam in Ecclesia fundata supra petram. « Soliditas enim (ait S. Leo Ser. III. in natali suo) illius fidei quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. »

Item ii qui docent fidem obiective spectatam sive Christum quem Petrus confessus est, esse Petram Ecclesiae, verissime interpretantur, nec tamen primam interpretationem excludunt. Et sane qui hanc interpretationem amplectuntur, et aliam quoque recipiunt; ut Augustinus, qui Petram Christum interpretatur Tract. ult. in Ioannem, Petrum in Psalmo contra Donatum, utrumque permittit in Retract. L. I. c. 21.; Theodoretus qui Petrum intelligit in Psalm. LXXXVI, Christum in c. 3. 1. Corint., Paulinus Aquileiensis qui Christum videtur interpretari in lib. contra Elipandum, Petrum autem interpretatur in Hymno de cathedra Petri; Innocentius III. in Serm. 2 de Consecr. Pontificis Petram Christum interpretatur; in epist. vero 209 Petrum.

Ratio vero cur haec aliquando interpretatio electa fuerit, haec est, quia Patres Augustinum imitati petram concipientes eam concipi-